



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Præcipuæ objectiones solvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

trem & Spiritum Sanctum naturæ creatæ, habent terminos diversæ rationis ab eo qui Verbum conjungit naturæ humanæ: Ergo non essent ejusdem rationis cum eo. Minor pater, quia licet personæ divinæ sint ejusdem essentiae, tamen in ratione personæ sunt quasi diversæ speciei, cum constituantur proprietatibus relativis diversæ rationis: unio autem naturæ creatæ cum divinitate, non fit immediate in natura, sed in persona; unde terminus primarius illius, & immediatus, est divina persona. Major verò probatur: Modus unionis debet à termino specificari: Ergo cum diversitate quasi specificæ terminorum, non potest stare unitas specifica unionum: unde propterea in sententia probabilis, quæ ponit unionem inter materiam & formam, unio illa quæ conjungit corpori animam rationalem, est diversæ rationis ab illa quæ unit corpori animæ equi.

Suadet etiam Minor principalis, quoad secundam partem. In entibus absolutis diversæ speciei, reperitur semper excessus & defectus secundum perfectionem specificam, quia species se habent veluti numeri, ut docet Aristoteles: Sed tam perfectus esse deberet unus illorum modorum unionis qui conjungerent tres personas naturæ creatæ, quàm alius: Ergo non posset esse diversæ rationis specificæ. Major pater, Minor etiam videtur certa, quia non esset unde inæqualitas eorum delumeretur, cum divinæ personæ per ordinem ad quas essentialiter constituerentur, sint æquales in perfectione.

Quod si dicas posse reperiri inæqualitatem ex parte naturarum quæ assumi possunt, huius positioni via præcluditur, si supponatur tres personas divinas assumere tres humanitates. Adde quod unio Dei cum natura creatæ ad esse personale, est summa communicatio Dei ad extra: Ergo non posset unio unius personæ esse perfectior unioni alterius, aliis ista non esset summa, quod est contra rationem unionis hypostaticæ cum natura creatæ.

§. II.

Precipue objectiones solvuntur.

59. **O**bjic' primò: Natura quæ ad plura indifferens est & indeterminata, non potest unum illorum habere determinatè, nisi ei aliquid superaddatur; unde cum humanitas ex se indifferens sit ut terminetur per propriam substantiam creatam, vel per substantiam incretam Verbi Divini, ut terminetur personalitate Verbi, eget aliquo superaddito: Sed illud non potest esse nisi modus substantialis unionis: Ergo talis modus in humanitate assumpta necessariò admittendus est. Major videtur manifesta, si enim nihil adveniat rei indifferenti & indeterminatæ, eodem modo se habebit ac se habebat antea, atque adeò semper manebit in sua indifferencia & indeterminatione. Minor verò probatur. Illud superadditum vel erit actio unitiva Dei, vel relatio resultans in humanitate assumpta, vel modus substantialis unionis: Primum dici non potest, quia actio unitiva extrinseca est humanitati, & statim transit facta unione. Secundum etiam non potest affirmari, quia illa relatio consequitur ad unionem jam factam, & supponit, saltem prioritate naturæ, ipsam naturam humanam esse terminatam à personalitate Verbi: Ergo solum restat modus ille unionis, per quem natura humana

A determinetur ad recipiendam substantiam Verbi Divini.

Confirmatur: Humanitatem esse hypostaticè unitam Verbo Divino, & terminatam personalitate ipsius, est aliqua formalitas realis in re ipsa, & novo existens: Sed hæc formalitas non est solutitas, humanitatis, aut Verbi, quia entitas incognita Verbi erat ab æterno, ac proinde ante unionem hypostaticam; & similiter humanitas prius saltem naturæ productæ erat quàm unitetur Verbo: Ergo præter entitatem humanitatis & Verbi, debet peraddi aliquis modus unionis, per quem humanitas dicatur unita Verbo hypostaticè, & ab illa substantialiter terminata.

B Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Natura quæ ad plura indifferens est & indeterminata, ex natura sua, non potest unum illorum habere determinatè, nisi ei aliquid superaddatur, concedo Majorem. Natura quæ ad plura indifferens est solum ex potentia obedientiali, nego Majorem. Natura verò humana non est se & ex propria natura indifferens ad hoc terminetur per propriam personalitatem creatam, vel per substantiam Verbi Divini: est enim sua natura determinata ad propriam substantiam, quàm connaturaliter exigit, & solum indifferens est ex potentia obedientiali, quæ qualibet creatura subditur Deo ut in ipsa faciat quicquid non implicat contradictionem. Unde illa non indiget modo substantiali unionis, ut ad incrementum Verbi Divini substantiam determinetur; sed hoc sufficit actio unitiva Dei, quæ cum efficacia sit, potest ea unire quæ longissimè etiam ad invicem distant. Et licet talis actio secundum se extrinseca sit humanitati, & transeat facta unione, tamen est intrinseca ratione sui termini formalis, in quo etiam virtualiter semper manet, nimirum ratione substantiæ Verbi Divini, ut communicat humanitati, quæ ut infra dicemus, est terminus formalis actionis unitivæ Dei.

D Adde quod argumentum illud facile potest retorqueri in Adversarios: Natura enim humana secundum se est indifferens ad hoc ut recipiat, vel non recipiat illum modum substantialem unionis quem admittunt: Ergo ut illum recipiat, debet determinari per alium modum, & tunc ut recipiat illum alium modum, debet determinari per alium, & sic dabitur processus in infinitum. Sicut ergo Adversarii teneantur respondere naturam humanam non indigere aliquo modo vel entitate superadditâ, ut determinetur ad recipiendum modum illum substantialem unionis, qui sine dubio supernaturalis est, supposito quod datur, quia non est indifferens ad illum modum ex natura sua, sed solum ex potentia obedientiali, & sufficere actionem unitivam Dei, quæ producat effectivè talem modum in humanitate. Ita ut dicimus, ad hoc ut natura humana terminetur per substantiam incretam Verbi, non indiget aliquo modo substantiali, sed sufficere actionem unitivam Dei, quæ huiusmodi extrema inter se conjungat.

E Ad confirmationem respondeo humanitatem esse hypostaticè unitam Verbo Divino, & terminatam personalitate ipsius, esse quid reale in re ipsa, & novo existens, non tamen modum substantialem unionis, nec solum naturam humanam præcisè, aut solum personalitatem Verbi, sed esse ipsam naturam humanam, ut terminatam divinæ personalitate, sive ut communicat

tem divinam substantiam, per modum termini A
ipsum completis & terminantis. Sicut in senten-
tia eorum qui inter materiam & formam modum
unionis non admittunt, materiam esse unitam
formae, nihil aliud importat, quam materiam ip-
sam connotantem entitatem formae illam infor-
mantis & auctantis. Ad hoc autem ut humanitas
de novo connotet personalitatem Verbi, per mo-
dum termini ipsam completis, requiritur quod
ponatur actio unitiva Dei, per quam personalitas
Verbi Divini communicetur naturae humanae.
Sicut ad hoc ut materia connotet formam, per
modum actus illam informantis, debet praesupponi
actio unitiva generantis, per quam forma com-
municetur materiae, tanquam actus propriae po-
tentiae.

68. Dices, Actio illa unitiva Dei, debet habere ali-
quem terminum productum, cum sit virtualiter
transiens: Sed non videretur posse habere alium ter-
minum productum, quam modum unionis copu-
lantis Verbum naturae humanae: Ergo necessario
admittendus est modus ille. Major patet, Minor
probat. Vel terminus ille esset Verbi substantia,
vel humanitas assumpta: Sed non primum, cum
Verbi substantia sit increata, & ab aeterno existens.
Neque etiam secundum, quia, ut infra dicemus,
humanitas seipsum producit per actionem distinctam
ab actione assumptiva, seu unitiva, quae actio fuit
vera generatio, ad quam B. Virgo praebuit suum
concursum, cum tamen non influxerit in actionem
assumptivam, seu unitivam humanitatis cum Ver-
bo: Ergo actio unitiva Dei non potest habere a-
lium terminum productum, quam modum unionis
copulantis Verbum naturae humanae.

69. Respondeo, concessa Majori, negando mino-
rem: Ad probationem in contrarium dicendum,
neque personalitatem Verbi, neque humanita-
tem assumptam, esse terminum productum per
assumptionem, sed hoc compositum ex divinitate
& humanitate, quod dicitur Christus: sicut pro-
portionaliter terminus productus per humanam
generationem, neque est anima rationalis, cum
fuit per creationem, neque similiter corpus, quia
supponitur generationi, cum dicat solam mate-
riam, ut radicem huius numero quantitatis, sed est
suppositum humanum.

70. Instabis, Licet Christus sit terminus qui, si-
ve totalis actionis Dei unitivae, non tamen est ter-
minus eius quo, si-ve formalis: Sed actio Dei uniti-
va, nedum habere debet terminum qui, si-ve to-
talem de novo productum, sed etiam terminum
quo, si-ve formalem, qui non potest esse alius quam
modus unionis copulantis Verbum naturae huma-
nae: Ergo &c.

71. Respondeo concessa Majori, negando mino-
rem: duplex enim solet distingui actio, quarum
una dicitur productiva, seu effectiva, altera voca-
tur unitiva; inter quas hoc intercedit discrimen,
quod actio productiva efficit non solum termi-
num totalem, sed etiam formalem: v.g. genera-
tio leonis non solum producit totum compositum
genitum, nimirum leonem, sed etiam formam
substantialem illius quam educit e sine materia:
actio vero pure unitiva, producit quidem termi-
num totalem, non tamen formalem, quem solum
conjungit alteri, ut patet in generatione hominis:
homo enim generans producit quidem ipsum sup-
positum genitum, quod est terminus totalis gene-
rationis, non tamen producit animam rationa-
lem, quae est terminus formalis generationis hu-
manae.

manae; quia anima rationalis non educitur de po-
tentia materiae, sicut alia formae corporeae, sed a
solo Deo creatur; unde homo generans habet so-
lum illam unitivam materiae, mediantibus dispositio-
nibus quas in illam introducit.

Urgebis: Non potest intelligi quomodo termi-
nus qui si-ve totalis producat, nisi per produ-
ctionem termini formalis: Ergo si actio unitiva
terminum qui, si-ve totalem producat, etiam ter-
minum quo, si-ve formalem efficiet.

Sed nego Antecedens, ex eo enim producit
terminum qui, si-ve totalis, quod terminus formalis
per actionem aliquam communicetur, & conjun-
gatur alteri extremo, si-ve per eandem actionem
terminus ille formalis producat, si-ve suppona-
tur productus per aliam actionem; si-ve etiam sit
aliquid improductum. Et ratio est, quia ex illa
conjunctione praecise termini formalis cum
altero extremo, resultat totum quod antea non
erat.

Quod si adhuc instes, & dicas, terminum
formalem non posse communicari alteri extre-
mo cui antea non communicabatur, nisi per ali-
quid superadditum, ipsa enim communicatio de-
bet esse aliquid ab eo distinctum. Respondeo
non posse communicari nisi per aliquid superaddi-
tum, quod sit actio communicativa, concedo.
Quod sit vinculum medians, & realiter distin-
ctum, nego: quando terminus formalis est tan-
tae actualitatis ut sit ex seipso formaliter totum
illud quod sua communicatio, si-ve exercitium
efficiendi aliud extremum, dicit in recto, ut con-
tingit in proposito: nam sicut principium activum,
quod ratione suae summae actualitatis est formaliter
sua actio, infert effectum extra se, absque ali-
quo medio, per hoc solum quod ad ipsum termi-
natur, ut contingit in Deo: ita etiam extremum
alteri communicabile, quod est actus purus, & ra-
tione summae actualitatis suam communicatio-
nem sibi identificat, non jungitur si-ve communi-
catur alteri extremo, per aliquid superadditum
per modum vinculi, sed per seipsum immediatè,
connotando tamen actionem per quam aliud ex-
tremum sibi applicat.

Obicies secundò: Debet assignari aliquod
fundamentum illius relationis quae resultat ex hu-
manitate Christi in ordine ad Verbum divinum:
At hoc non potest esse aliud quam modus sub-
stantialis unionis copulantis Verbum naturae hu-
manae; non enim potest esse actio unitiva Dei,
cum illa sit formaliter immanens in Deo, ac pro-
inde non recepta in humanitate; neque humanitas
praecise & secundum se, alias omnis humanitas
fundaret talem relationem; nec etiam personali-
tas Verbi communicata humanitati, quandoqui-
dem illa est terminus talis relationis: Ergo modus
ille substantialis unionis, necessario admittendus
est.

Respondeo, concessa Majori, negando mino-
rem, nam fundamentum remotum relationis quae
resultat in humanitate Christi in ordine ad Ver-
bum Divinum, est ipsa actio unitiva Dei, per
quam effectivè conjungit naturam humanam
personalitati Verbi, & quae licet sit formaliter
immanens, est tamen virtualiter transiens: fun-
damentum vero proximum est terminatio passiva
humanitatis, si-ve quod idem est, ipsa humanitas,
ut terminata personalitate Verbi, vel unitas rea-
lis personae Christi in qua natura divina & huma-
na conveniunt. Quod potest declarari & illustrari

exemplo relationis quam materia dicitur ad formam, & forma ad materiam: illi enim Philosophi qui non admittunt modum substantialem unionis inter materiam & formam, dicunt fundamentum remotum hujus relationis esse actionem unitivam generantis, per quam forma communicatur matriæ, & ipsi unitur; fundamentum verò proximum esse ipsam unionem passivam, quæ nihil aliud est quam sustentatio formæ, & informatio matriæ. Vel ut alii volunt, fundamentum proximum hujus relationis est unitas compositi ad cuius constitutionem materia & forma uniuntur. Idem proportionaliter dicendum est de relatione quæ resultat in humanitate Christi in ordine ad Verbum Divinum, eam scilicet fundare remota in actione unitiva Dei, proximè verò in terminatione vel assumptione passiva humanitatis; vel ut alii volunt, in unitate personali Christi, in quo natura divina & humana conveniunt. Quod ut magis illustretur.

72. Adver eundem est, hanc relationem, cum sit altioris ordinis, assimilari partim relationibus primi generis, quæ fundantur in unitate & numero; partim relationibus secundi generis, quæ fundantur in actione & passione. Ex hac ergo parte quæ illa relatio est similis relationibus primi generis, fundatur in unitate personali Christi; ex alia verò quæ assimilatur relationibus secundi generis, fundatur in actione unitiva Dei, & in terminatione seu assumptione passiva humanitatis; talis enim terminatio, seu assumptio, est veluti quædam passio, non formaliter, sed virtualiter: sicut & ipsa actio unitiva Dei, non est formaliter, sed tantum virtualiter transiens.

73. Obijci est tertio: Humanitas Christi prius prioritate naturæ quam referretur ad Verbum Divinum, per sui assumptionem immutata fuit: Sed hoc salvari nequit, nisi admittatur in humanitate modus substantialis unionis per quem formaliter conjungatur Verbo Divino: Ergo talis modus necessarius admittendus est. Major videtur certa in doctrina D. Thomæ, qui variis in locis docet relationem prædicamentalem quæ humanitas consequenter ad sui assumptionem refertur ad Verbum Divinum, causari ex mutatione non ipsius Verbi, sed humanitatis quæ ad illud assumitur. Minor verò suadetur. Non videtur posse salvari quod aliqua natura priusquam referatur ad aliud, immutetur, nisi antecederet ad ejusmodi relationem, vel aliquid de novo in se recipiat, vel aliquid ex iis quæ habebat prius, prioritate saltem naturæ, deperdat: Ergo cum humanitas Christi in sui assumptione ad Divinum Verbum, nihil amiserit quod haberet prius, prioritate etiam naturæ, ut salvetur per talem assumptionem immutata fuisse, necesse est fateri aliquid in ea fuisse receptum antecederet ad sui relationem ad Verbum, quod non potest esse aliud quam modus substantialis unionis.

74. Respondeo distinguendo Majorem: Humanitas Christi prius prioritate naturæ quam referretur ad Verbum, per sui assumptionem immutata fuit, mutatione propriâ & rigorosâ, nego: mutatione impropria & largè sumptâ, concedo; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: In mysterio Incarnationis natura humana non mutatur propriâ & rigorosâ mutatione, Primò quia ad mutationem propriam & rigorosam necessarium est ut res quæ dicitur mutata, ante receptionem ejus ratione cujus mu-

tata dicitur, præexistat: humanitas autem Christi non præexistit antequam terminaretur per personam divinam, cum eodem instanti producta sit & assumpta à Verbo, ut dicemus articulo sequenti. Secundò, quia terminatio non est propriè receptio alicujus formæ, quæ tamen ad rigorosam mutationem requiritur. Si autem loquimur de mutatione largè & improprie sumptâ, concedi potest humanitatem Christi mutatam esse; quæ mutatio consistit in hoc quod cum haberet naturalem inclinationem ad propriam substantiam, terminata fuit per alienam, scilicet divinam. Potestque hæc solutio & doctrina illustrari ex opinione probabili, quæ nullum inter materiam & formam modum unionis admittit, namque hanc sententiam, ut anima rationalis, de non unita corpori, fiat ipsi unita, & ad illud ut ad suam partem referatur, non requiritur quod mutetur mutatione propriâ & rigorosâ sed sufficit mutatio quædam impropria & largè sumptâ, nimirum trinleca quædam connotatio, quæ connotet materiam ut potentiam recipientem, quam antea non connotabat. Cur ergo pariter idem dici non poterit de humanitate assumptâ à Verbo, eam scilicet priusquam referatur ad Verbum, non debere immutari mutatione propriâ & rigorosâ, modum substantialem unionis recipiendo, sed sufficere mutationem largam & impropriam, quæ ex actione unitiva Dei, & passiva Verbi Divini terminatione ipsi advenit?

ARTICULUS IV.

Utrum assumptio humanæ naturæ ad personam Verbi Divini, sit una eademque realiter actio cum creatione animæ, & productione humanitatis Christi?

Non procedit difficultas ista de assumptione humanæ naturæ activè sumptâ, prout se tenet ex parte Dei assumptionis, certissimum enim est, quod cum in sententia D. Thomæ, omnia operetur Deus per unam eademque realiter actionem, formaliter immanentem, & virtualiter transentem, eadem entitativè actio fuit per quam Deus animam Christi creavit, ejus humanitatem produxit, & ad personam suam Verbi eam assumpsit, sed de assumptione humanæ naturæ passivè sumptâ, prout se tenet ex parte ipsius termini, nempe animæ Christi, & ejus humanitatis. Hoc præmissis.

In hujus difficultatis resolutione est quorundam modernorum sententia, asserens unam & eandem actionem realiter esse simul creationem animæ Christi, productionem, & assumptionem humanitatis ejus, sub quadam eminenti ratione: sicut anima rationalis sub eminenti quadam ratione est simul vegetativa, sensitiva & rationalis. Ita Cabreria hic art. 11. disp. 2. & quidam alii moderni. Oppositum docent alii Thomistæ, existimantes creationem animæ Christi, generationem ipsius humanitatis, & ejus assumptionem ad personam Verbi Divini, esse tres actiones realiter inter se distinctas, quam sententiam, ut probabiliorem, scilicet schola D. Thomæ communior emens.

Dico, tres illas actiones realiter inter se distinguui.

Probatum primò conclusio ratione fundamen-